



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

5. Ac hæreses plerásque absque concursu Concilij Oecumenici
damnantium; quod inductione probatur, Cerdonis, Valentini, Theodoti,
Montanistarum, Cataphrygum, Origenis, Cypriani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

Pontificem misit : (a) sed cum calamo fides non haberetur, ipse Romam accessit, (b) ratus, se hæresis notâ satis absolutum fore, si à Romano Pontifice reciperetur.

V. Cyprianus, omnèque ferè Africani Patres, à Stephano Papa (c) anathemate percussus, aut saltem territi, ob repetitum hæreticorum baptismum. Ubi planè enituit invicta Romanorum Pontificum auctoritas, quando contra torrentem Africanæ eloquentiæ, & sanctitatis, frustra obnitente Cypriano (cujus in Ecclesia Catholica eâ tempestate summa veneratio) veritati suffragium tulit, effecitque, ut toto Orbe probaretur. Planè nunquam magis credi potuit, errasse Pontificem, quàm cum Cypriano, totque, & tam numerosis Synodis (in quibus florem Catholicæ Religionis facillè collectum vidisses) adversatus est; vicit tamen, & pro illo veritas stetit. Quando errabit Pontifex, si tunc non erravit? num aliquando doctiores, sanctioresque adversarios habebit, quàm Cyprianum, & tot alias Synodos Orientis? ergo si tunc, quando tam multi, robustique impellebant, hæc Petra non cecidit, frustra expectas aliquando casuram; stetit, stabitque, ut Petram decet.

Dices: Etiam post prolata à Stephano sententiam, dirasque intentatas nec Cyprianus, nec alij Africanæ Episcopi acquievère; non ergo credebant, Pontificem falli non posse.

Resp. De certamine Cypriani cum Stephano alibi dictum est, & dicitur postea, cum objectiones dissolvemus; nunc verò id solum dico, Cyprianum, ejusque asseclas, si crediderunt Pontificem ex Cathedra docentem falli posse, omninò errasse; neque id mirum est, aut absurdum; si enim errarunt circa Baptismum, cur non errare potuerint circa Pontificem? & si tu absurdum & falsum esse non credis, cum dicitur, Cyprianum circa Baptismum errasse, cur absurdum, & falsum esse credas, cum dicimus, errasse circa Pontificem? præsertim cum nemo unquam falsam doctrinam pertinaciter defenderit, qui non hoc ipso cum Romano Pontifice bellum gesserit, jurato videlicet, & necessario mendacij hoste, ac vindice veritatis; ut adèd unum idemque sit, Pontifici bellum, & veritati indicere, quemadmodum unum idemque est, in leges & in Judicem offendere. Et verò ubi primus ille animorum ardor defertur,

B b 3

(a) Anno 248. (b) Euseb. lib. 6. hist. cap. 28. 29. (c) Anno 258.

ferbuit, qui Cypriani, & Firmiliani calamos myrrhâ, & felle impleverat, rediitque serenitas agnoscendæ veritati necessaria; respicit Cyprianus, totumque illud agmen Africanorum, sequitur Pontifici Romano submitit. Cùm ergo Cyprianum habeamus, & errantem, & pœnitentem, quærimus ex Gallis, cur malint errantem sequi, quàm pœnitentem? Audi Augustinum: (a) *Correxisset autem Cyprianus istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Idem testatur clarissimis verbis S. Hieronymus de Episcopis, qui cum Cypriano decreverant, hæreticos rebaptizandos esse. Verba Hieronymi hæc sunt: (b) *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revolvi (quæ habebat, non esse rebaptizandos hæreticos, & quâ maximè Stephanus nitebatur) novam emisere Decretum.* Et Cresconius Donatista objicit Augustino: (c) *Majores nostri (Donatistæ videlicet) ab Orientalium propterea à communionem discreti sunt, quia illi suum judicium resciderunt, quo eis placuerat de illa questione (an videlicet hæretici rebaptizandi essent) Cypriano, atque illi Africano Concilio consentire oportere.* Cui respondet Augustinus: (d) *Paucos illos Orientales, quinquaginta videlicet (totidem erant Episcopi in Synodo Iconiensi Firmiliano præsidente) non tantum judicium suum rescidisse, verum etiam correxisse.* De Dionysio quoque Patriarcha Alexandrino mutasse eum sententiam, ac Stephano manus dedisse clarum videtur, tum ex familiarissimis ejus Epistolis ad Xistum Stephani successorem apud Eusebium: (e) tum quia ad eum Stephani sententiæ accesserat, ut ne quidem fratrem quendam ætate admodum provecctâ, & Baptismate apud hæreticos tinctum, sed pleno impietate, plenoque blasphemia, neque ullam omnino cum nostro habente similitudinem, sit ausus rebaptizare, nisi permetteret Romanus Pontifex; sic enim epistolam ad Xistum concludit: *Profecto opus habeo Frater consilio tuo, & sententiam tuam expecto, ne forte ipse hallucinet tali negotio ad me delato.* Ita Eusebius; patet ergo, Africanos Episcopos, eorumque Coryphæos Firmilianum, & Dionysium sententiam

(a) August. epist. 48. ad Vincent. (b) S. Hieron. Dial. contra Luciferianos. (c) Crescon. lib. 3. cap. 2. (d) August. contra Crescon. lib. 3. cap. 3. (e) Euseb. lib. 7. cap. 9.

tentiam correxisse. Quando ergo Arelatense, quod multò post celebratum est, canonei. decernit: *Afros propria lege uti, ut rebaptizent*, intelligendum est, ut bene notavit Sirmondus, non de quibuscunque Catholicis Afris (quales erant Cypriani sectatores) sed de Afris Donatistis & Schismaticis; & idèd in Concilio Romano ante Concilium Arelatense celebrato sub Melchiade Papa, Donato etiam ab Africæ Episcopis vitio datum, imò damnatus est, quòd *confessus esset se rebaptizasse*, teste Oprato Milevitano; ergo certum est, eà tempestate non fuisse apud Africanos moris, ut tincti ab hæreticis iterum tingerentur, alioquin quomodo ab Africanis Episcopis id soli Donato crimini verteretur? Hæc omnia eò spectant, ut ostendamus, Africanos Episcopos, præsertim Firmilianum & Dionysium resipuisse. Jam Lectoris iudicium esto, quorum æquior sit causa: adversariorum, qui errantes Africanos sequuntur, an nostra, qui sequimur pœnitentes? Illud quòque ex Augustino addendum; paucos fuisse, qui cum Cypriano Pontifici obluçtabantur: (c) *Quinquaginta videl. Episcopi Orientales, & septuaginta Afri contra tot millia Episcoporum, quibus hic error (Cypriani) in toto Orbe displicuit.* Quæro jam iterum, utrum magis expediat paucorum errores amplecti, an multorum veritatem, imò tot millium Episcoporum, & totius Orbis consensum, qui Romani Pontificis sententiam venerati sunt? Quanquam si verum dici oportet, nihil Stephanus ex Cathedra, & per modum Dogmatis definivit; cùm enim Cyprianus Anno CCLVI. in secundo Carthaginensi Concilio, quò omnes Africæ Episcopi convenerant, solemnè Decreto hæreticorum baptisma damnasset, illudque per literas Synodicas Stephano Papæ confirmandum misisset, Stephanus in hæc verba respondit: *Si quis à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quibus verbis planè contrariam Cypriani sententiam hæresis non damnavit, sed vetuit tantùm, *nihil innovari*, hoc est, antiquam Ecclesiæ traditionem, usumque retineri, donec tota hæc quæstio in Concilio Universali decideretur, ut sæpe testatur Augustinus. Et meritò ad Concilium universale rejecta est, cùm enim potissima quæstio facti, non juris esset: *An videlicet rebaptizatio hæreticorum antiquæ totius Ecclesiæ consuetudini, & traditioni adversaretur*, meritò Concilium univer-

(a) S. August. contra Cresconium lib. 3. cap. 3.

universale expetebatur, ut videlicet singuli Episcopi de suarum Ecclesiarum usu ac consuetudine testari possent. Et quia pauci Episcopi Africani contra tot millium Episcoporum, imò totius Orbis sententiam (ut testatur Augustinus) non solum privatam opinionem sustinebant, verum etiam contra Decretum Pontificis Romani ne quidem operiri Concilium, & interim repetito Baptismo abstinere volebant, imò primam Sedem convitijs onerabant, planè sacro calamo indignis (qua de causa S. Augustinus (a) Cyprianum reprehendit) jure merito excommunicationem illis Romanus Pontifex Stephanus minatus est, non tamen inflixit, deprecante Dionysio Patriarcha Alexandrino; sic enim ipse testatur epistolâ ad Xistum Pontificem : (b) *Atque ut pro omnibus Episcopis illum deprecarer, epistolam scripsi.* De quo vide Schelstrate (c) & Alexandrum Natalem, (d) & simul advertite, moris fuisse, ut sanctissimi Episcopi excommunicationem apud Romanos Pontifices deprecarentur, eamque ne vibrarent dissuaderent; sic Irenæus Victorem, sic Dionysius Stephanum Pontifices rogârunt.

Ex hoc Cypriani conflictu magnum pro Infallibilitate Pontificia argumentum sumitur. Cyprianus tantâ doctrinâ, pietate, eloquentiâ, ingenio, ac insuper tot Episcoporum, & trium Synodorum votis subnixus, ubi tamen à Romano Pontifice secessit, in hæresin & errores prolapsus est, postea ab Ecclesia damnatus; naufragium fecit, anchoram perdidit; quis ergo deinceps speret, se absque periculo & impune à Romani Pontificis sententia deflexurum, sibi que stationem promittat Cypriano cadente? *Tu es Petrus, & super hanc Petram, inquit Christus, ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo super hanc Petram ædificium es, extra hanc Petram ruina.

VI. Anno CCCLXXIII. Primus Damasus hæresin Apollinaris, simulque Timotheum & Vitalem Apollinaris discipulos extra Concilium Oecumenicum damnavit. Negabant isti Divinitatem Spiritûs S. Damasi verò Decretum fuisse peremptorium & decisivum, ac necessitatem Ecclesijs imposuisse, ut reciperetur, authenticis

(a) August. lib. 5. contra Donat. cap. 25. (b) Apud Euseb. lib. 7. cap. 5. (c) Schelstr. in antiquit. illustrata p. 2. dissert. I. cap. 5. a. 5. (d) Alex. Natal. ad seculum 3. Dissert. 12.